Prof. Robt F. Harper.

DE

CYCLOPE HOMERICO ATQUE EURIPIDEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE XVI M. IUNII A. MDCCCIC
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

CAROLUS BERRY NEWCOMER
AMERICANUS.

ADVERSARII ERUNT
CAROLUS BENTON CANNADAY, MAG. ARTIUM
GUILELMUS VOLLGRAFF, CAND. PHIL.
GUILELMUS HELMKE, DR. PHIL.

BEROLINI
MAYER ET MUELLER
1899.

Introductio.

Fabulae populares quae sunt de heroibus mythicis oriuntur et crescunt annis volventibus, praesertim antequam litteris mandatae sunt. Qui eas narrant ex suo quisque ingenio nonnulla vel addunt vel mutant, sicut naturam indolemque eorum decet. Quales enim et quam multi casus Thesei Persei Herculis! Quam variae narrationes de eorum origine referuntur ac parentibus! De Hercule quidem feruntur sescentae fabulae quae inter se contradicunt quarumque natura ac forma temporis cursu mutantur. Quam dissimiles varii typi Gorgonis Medusae fuerint, permultis antiquae artis operibus clare ostenditur. Sed optimum exemplum fabulae, quae crescens per longum tempus mutatur, nescio an mythus praebeat Cyclopis Polyphemi. Eiusmodi enim mythi originem trahere solent ex mirabilibus narrationibus nautarum et mercatorum qui terras longe remotas visunt et populos barbaros ac peregrinos mores cognoscunt, perverse sane saepius, et audiunt incertiora quae relata sunt de monstris quae versantur in regionibus prorsus longinquis. Illae autem narratiunculae postea in patriam illatae aliae ab alio narrantur, nepotum memoriae traduntur, fama augentur, donec poeta aliquis ingeniosus eis formam det certam. Sic Homerus primus fabulam quae est de Polyphemo atque Ulixe cum historia belli Troiani coniunxit, alii vero scriptores eandem auctam ac mutatam tractaverunt usque ad Euripidem, qui narratione Homerica usus fabulam satyricam composuit. Propositum igitur nobis est hunc mythum in artis operibus ac litteris traditum usque ad finem saeculi a. Ch. n. quinti persequi, ut corrigamus nonnullas falsas opiniones quae de Cyclope pervulgantur, ac demonstremus quatenus aliis auctoribus usus sit Euripides.

De Polyphemo in vasis depicto.

Antequam ea quae poetarum carminibus et fabulis relata sunt de Polyphemo tractemus, consideremus quae de his rebus epicis in vasorum picturis nonnullis memoriae tradita sint. Neque enim veteres artifices, si quas fabulas in vasis depingebant, poetarum exempla artius sequi solebant, sed fama, qua tum res a dis vel heroibus gestae vulgo referebantur, utebantur. Quae igitur Graecorum veterum aetate homines de Polyphemo ab Ulixe excaecato et de Ulixe manus Cyclopis effugiente narraverint, operae pretium est perquirere.

α: Vas Caere effossum[1].

Ac primum quidem vas quoddam antiquissimum profero, quod Caere effossum ac Romae in museo Etrusco Capitolino asservatum edidit Ricardus Foerster *Monum. dell' Inst.* IX 4; *Ann.* 1869, p. 157. Est autem crater ex argilla subflava, cuius ornamenta albo, figurae fusco, comae autem ravo colore picta sunt, vernice non adhibita; lineamenta eius crasso penicillo ducta, non stilo inscalpta, ut in vasis Corinthiis antiquis. Quod vasculum in Asia minore factum esse conici potest cum ex inscriptione quae est Ἀριστόνοθος[2] ἐπόισεν tum ex pictura ipsa arteque qua artifex minus peritus materiam finxit[3]. Effingitur autem in illo cratere Polyphemus quo tempore ab Ulixe eiusque sociis quattuor excaecabatur; crate in qua Cyclops caseum siccabat non neglecta eius domicilium significatur[4]. Viri autem quinque dextrorsum irruentes palum longum Polyphemo in faciem infigunt, quae ita deleta est ut vultus agnosci non possit. Quem palum manu dextera illum arripientem clare agnoscimus, cum sinistra humi prostratus nitatur. Ceterum mirum est quod Cyclops paullo tantum longior est quam adversarii, neque multum videtur eos magni-

---

[1] Cf. I. BOLTE, *De monumentis ad Odysseam pertinentibus,* disser. Berol. 1882, p. 2—5, ubi omnia de hoc vase conscripta laudantur.

[2] Cf. WILAMOWITZ, *Hermes* XXII, p. 118.

[3] Cf. BOLTE, l. l. et KLEIN, *Meistersignaturen,* iterum ed. 1887, p. 27; *Euphronios,* iterum ed, 1886, p. 73, adn. 1.

[4] Cf. *Od.* ι 219, *ταρσοὶ μὲν τυρῶν βρῖθον.*

tudine corporis superare. Quomodocumque res se habet, hoc unum intellegimus picturam vasculi de quo agimus typum longe antiquissimum omnium earum quibus Polyphemi excaecatio fingitur praebere, ut viri docti, velut Bolte l. supra l., videantur coniecisse suo iure id esse saeculi a. Ch. n. fere septimi.

β: Cylix Cyrenaica[5].

Cylix Cyrenaica, Nolae reperta nunc in bibliotheca publica Parisina servatur, quam edidit Albertus dux de Luynes *Monum. dell' Inst.* I 7, 1; *Ann.* 1829, p. 278. Cuius cylicis interior pars figuris nigris ornata est, quae quin eundem in Polyphemum impetum exhibeant dubitari non potest. Polyphemus enim vino somnoque gravis in saxo sedet, dum reliquias corporum humanorum semesas manibus tenet, eo fortasse consilio ita depictus, quo manifestius eluceret, quod tam impium et taetrum scelus commisisset. Viri autem quattuor nudi dextrorsum progredientes oculum Cyclopis palo petunt, quorum primus mirum in modum simul poculum Polyphemo offert, ita ut duae res, quarum altera alteram sequi debet, ab artifice una describantur tamquam si uno eodemque tempore factae essent. Neque vero tamen Polyphemum tangunt, cuius oculus sinister qui solus agnosci potest somno est clausus. Videtur autem vas saeculi sexti esse ineuntis.

γ: Amphora Chalcidica[6].

Chalcidicam ut videtur amphoram musei Britannici figuris nigris ornatam edidit Heydemann *Monum. dell' Inst.* X 52, 2; *Ann.* 1878, p. 227. Ubi videmus Cyclopem ingenti corpore in antro sedentem et contra tres viros Graecos nitentem, qui dextrorsum progredientes arbusculam ei in oculum sinistrum[7]

---

[5] Cf. BOLTE, op. l. p. 5—7.

[6] Cf. BOLTE, op. l. p. 8.

[7] Nullo modo consentio cum Arthuro Schneider, qui sententiam protulit hunc Polyphemum unum habere oculum media in fronte situm. Cf. A. SCHNEIDER, *Der troische Sagenkreis in der älteren griechischen Kunst*, Leipz. 1886, p. 53—57.

infigunt. Ceterum dignum est quod commemoretur poculum in hac tabula deesse. Illud quoque opus videtur saeculi sexti esse.

δ: Oenochoë Attica.

Exstat in museo Napoleonis III poculum quoddam, quod Graeci dicunt οἰνοχόην, figuris nigris ornatum. Quod vas constat in Attica aetate paullo recentiore confectum esse (edidit E. Saglio *Gazette Archéologique* XII, p. 1). In hac autem imagine videmus Polyphemum, qui maior est quam pro humano habitu, clavam nodis asperam bracchio laevo tenentem et in antro reclinatum oculo sinistro somno ut videtur clauso. Qua occasione oblata viri duo armati palum ardentem in oculum Cyclopi dextrorsum trudere parant. Tertius autem exstat adversarius, quem alterum palum igni calefacere cognoscimus a sinistra parte tabulae. Hic quoque poculum deest.

ε: Poculum Boeoticum.

Poculum Boeoticum musei Berolinensis figuris nigris ornatum edidit Winter *Archäologischer Anzeiger* 1895, p. 35. Cuius altera in parte Sirenes depictae sunt, altera Cyclops permagno corpore in antro reclinatus, quem, facie ad eos qui spectant conversa, vino somnoque oppressum esse nemo non videret, ne si poculum quidem deesset, quod apertum est elapsum esse manibus Polyphemi postquam ebrius factus est. Praeterea imago de qua agimus eo insignis est quod ibi Polyphemi oculi ambo depicti sunt, id quod nusquam in vasculis quae facta sunt ante saeculum quintum invenitur. Nam figura rotunda in pectore posita papillam significari ab artifice sine dubio vel inde consequitur quod tres viri barbati palo non eam corporis partem sed oculum dexterum petunt.

Quoniam de picturis diximus quibus Cyclops quomodo caecetur describitur, iam de eis verba faciemus quae Ulixem ex antro egredientem ostendunt.

ζ, η, ϑ, ι: Quattuor similes oenochoae Atticae.

Habemus enim quattuor oenochoas Atticas saeculi sexti figuris nigris ornatas (ζ[8] Berolini, η[9] Athenis, ϑ[10] Londinii, ι[11] Parisiis), in quibus os Polyphemi iam vulneratum videmus. In omnibus autem conspicimus a latere dextero Cyclopem sedentem in ostio antri, unde aries progreditur, cuius sub alvo vir barbatus haeret. Apparet autem spectantibus Polyphemi laevus oculus, ut iam caecus videatur esse. Neque reticebo alias praeterea inventas esse picturas illis similes, in quibus pars tantum fabulae Cyclopiae descripta est Polyphemo ipso omisso[12]. Quarum artifices non omnibus in rebus Homerum imitantur, sed suam quisque rationem sequitur. Denique non omittam illorum vasorum mentionem facere quorum unum exemplum edidit nuper Ioanna Harrison mulier docta (*Jour. Hell. Stud.* 1883, p. 263). Quamquam enim illud vas figuris rubris ornatum est, tamen Ioanna Harrison suo iure putat ibi repraesentari veterrimum typum imaginum pictarum, quibus Ulixes ex antro evadens ostenditur. Sed diu inde ab initio saeculi quinti vasorum pictores fabulam Cyclopiam neglexerunt, donec poetae fabulis scaenicis narrationes epicas novavere auxere immutavere[13].

κ: Poculum musei Berolinensis.

Vasculum saeculi quinti altera parte figuris rubris ornatum, sive in Attica sive in Italia inferiore, edidit Winter *Jahrb. d. Ind.* 1891, p. 271[14]. Ibi fabula Cyclopia descripta est

---

8 Cf. RAOUL-ROCHETTE, *Monum. d. Inst.*, tab. LXV 1.

9 Cf. HEYDEMANN, *Griechische Vasen*, tab. VIII 2.

10 Cf. JANE HARRISON, *Journal of Hellenic Studies*, 1883, p. 263; CATALOGUE BRIT. MUS. B 502.

11 Cf. POTTIER, *Vases du Louvre*, A 480.

12 Cf. BOLTE, op. l. p. 9—16; et JANE HARRISON, *Jour. Hell. Stud.*, 1883, p. 256 seq.

13 Cf. WINTER, *Jahrbuch des Instituts*, 1891, p. 272; et ROBERT, *Bild und Lied*, p. 35 seq.

14 Cf. HUDDILSTON, *Greek Tragedy in the Light of Vase Painting*, London, 1898, p. 141.

prorsus alio modo atque quo in picturis de quibus supra egimus traditam invenimus. Nam praeterquam quod clare videmus Polyphemum unum tantum oculum media in fronte positum habere, hic etiam satyros duos iocose saltantes conspicimus. Cum Cyclops ipse ante speluncam dormiat similiter atque vidimus in vasculo ε cubantem, sex viri palum permagnum igni parant, ut Polyphemi oculum excaecent. Quae omnia ab artifice perspicue picta sunt poculo atque utre iam vino fere vacuo non omissis. Necessario autem Wintero (l. l.) et Roberto (op. l. p. 35) concedendum est in hoc vase depictam esse eandem rem quae in Euripidis *Cyclope* agitur. Ceteri enim artifices, quorum opera tractavimus, severitatem quandem epicam in pingendo conservarunt, hic potissimum actiones scaenicas describit. Etiam Timanthem, qui paullo post Euripidem floruit, auctore Plinio *n. h.* XXXV 74 comperimus satyros una cum Cyclope pinxisse dormientis pollicem thyrso metientes, quo melius appareret quam ingenti ille esset magnitudine.

Videmus igitur ex imaginibus in vasis depictis fabulam Cyclopiam usque ad finem saeculi a. Ch. n. sexti pervulgatam esse in Ionia (α sup. p. 2) Cyrenaica (β sup. p. 3) Boeotia (ε sup. p. 4) Chalcide (γ sup. p. 3) Attica (δ sup. p. 4 et ζ, η, ϑ, ι p. 5), pictoresque lineamenta ut ita dicam fabulae Cyclopiae secutos esse consentaneum est, non Homeri verba accurate expressisse. Sic a pristinis artificibus Polyphemus nobis ostenditur vir barbatus, saepe ingentior quam pro humano habitu, nudus, saepe clavam tenens, incultus, rudis, tamen non omnino instar illius *monstri horrendi*, quale Euripides ac Vergilius tradunt, neutiquam vero ille amator mollis quem poetae aetatis posterioris describunt. Nam quamquam immanis est, quippe qui etiam homines edat, tamen semper humanam praebet faciem; non est monstrum nefandum, non gigas, non deus; denique homo est quamvis statura reliquos excedens, sicut fratres eius Cyclopes, qui et ipsi sunt homines. At quod in omnibus vasis eius aetatis excepta cylice Boeotica (ε sup. p. 4) solus oculus laevus spectantibus apparet, cavendum est ne ad Cyclopes unoculos Hesiodeos referamus. Nam cum

in vasis de quibus diximus semper Cyclops a latere depingeretur, quonam modo fieri potuit ut uterque oculus spectaretur? Accedit quod artifex si Polyphemum tanquam unoculum mente concepisset, oculum media in fronte posuisset. Sequitur necessitate quadam ut artifices non Hesiodum sequantur, qui primus Cyclopes tanquam gigantes μονοφθάλμους (cf. *Theog.* 139) dicit Caeli et Terrae filios, sed potius Homerum, cuius Cyclopes homines fuerunt, non gigantes. A quibus quod Polyphemus filius vocabatur Neptuni, non ita mirum est, cum veteres proniores fuerint ad originem divinam tribuendam viris claris. Porro in vasculo supra γ designato apparet oculum sinistrum Polyphemi effodi, id quod haud scio an etiam in α et β et δ fiat. At Homerus nonne ipse quoque Polyphemum uno tantummodo oculo praeditum descripsit, cum Ulixem eiusque socios semel aggressos statim eum excaecasse in Odyssea inveniamus scriptum? Sed equidem puto Homerum licentia quae est poetarum usum neglexisse rem ipsam accuratius exponere, quia cum accuratissime Cyclopem eiusque mores descripsisset, de uno solo oculo Polyphemi quidquam dicere profecto non omisisset; ex uno autem loco (*Od.* ι 389) dilucide sequi videtur ut poeta veterrimus de duobus humanis oculis cogitaverit, quod ne scholiastam (Aristarchum?) quidem effugit, cum scriberet: ὁ Κύκλωψ κατὰ τὸν Ὅμηρον οὐκ ἦν μονόφθαλμος φύσει, ... δύο γὰρ ὀφρύας εἶχε· φησὶ γὰρ

πάντα δέ οἱ βλέφαρ᾽ ἀμφὶ καὶ ὀφρύας εὗσεν ἀυτμή.

Sed quod idem scholiasta et scriptores veteres alii indicant Polyphemum oculo altero (scilicet dextero) iam caruisse priusquam Ulixes eum conveniret, id est altero oculo captum (ἑτερόφθαλμον) fuisse, non unoculum (μονόφθαλμον) natura[15],

---

[15] Cf. scholium ad *Od.* ι 383, *ὁ Κύκλωψ κατὰ τὸν Ὅμηρον οὐκ ἦν μονόφθαλμος φύσει, ἀλλὰ κατά τινα συντυχίαν τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν ἀπεβεβλήκει. δύο γὰρ ὀφρύας εἶχε· φησὶ γὰρ*

πάντα δέ οἱ βλέφαρ᾽ ἀμφὶ καὶ ὀφρύας εὗσεν ἀυτμή.

Cf. schol. ad *Od.* ι 106 et EUSTATHII *comm.*, 1534, 42; 1622, 45.

Cf. PHRYNICHUS, CXII, *Μονόφθαλμον οὐ ῥητέον, ἑτερόφθαλμον δέ. Κρατῖνος δὲ μονόφθαλμον εἶπε τὸν Κύκλωπα.*

Cf. AMMONIUS, *Ἑτερόφθαλμος μὲν γὰρ ὁ κατὰ περίπτωσιν πηρωθεὶς τὸν ἕτερον τῶν ὀφθαλμῶν.*

id sagacius quam rectius mihi videtur a grammaticis excogitatum esse. Necesse autem erat eam rem artificibus summam praebere difficultatem. Nam quo modo illi, cum fabulam Cyclopiam depingerent, Polyphemo duobus attributis oculis, tamen efficere potuerunt, ut ab Ulixe eiusque comitibus uno impetu statim appareret lumine privatus esse, quem ad modum apud Homerum narratur? Ex quibus pictoribus uni id sane minime curae fuit, eum dico qui fecit vas Boeoticum (ε), in quo Polyphemum, quem adversarii lumine privaturi sunt, duos oculos spectantibus ostendentem videmus. Ceteri autem difficultatem ita mihi videntur fugisse ut Polyphemum a latere depingerent ita, ut alter tantummodo oculus apparere posset. Sed utut res se habet, certum est neminem artificem vestigiis insistere Hesiodi, qui prorsus aliam fabulam secutus Cyclopibus unum oculum media in fronte positum attribuit. Restant vasa ζ η ϑ ι, in quibus Polyphemum iam excaecatum videmus sedentem in speluncae ostio et Ulixem ut licet conicere fuga prohibentem[16]. Oculus autem laevus sine pupilla in quattuor illis tabulis ab artifice depictus sine dubio est effossus, dexterum ne in his quidem conspicimus[17]. Unde sequitur ut ne ei quidem pictores hac in re alium fontem secuti sint quam Homerus ipse, Hesiodi autem Cyclopes μονοφϑάλμους non agnoscant.

At non solum in vasorum picturis testimonia habemus de fabulis epicis optima, sed etiam in vasorum antiquorum inscriptionibus nonnullis[18]. In omnibus enim invenimus scriptam formam nominis Ὀλυττεύς vel Ὀλυσσεύς pro epica Ὀδυσσεύς. Unde concludendum est fabulam Cyclopiam Graecis notam fuisse etiam ex aliis fontibus atque ex Homero. Nam quin nominis forma in Homeri carminibus Ὀδυσσεύς sit dubitari nequit, quod cum ex aliis locis sequitur tum ex his versibus (*Od.* τ 407—409):

---

16 Cf. *Od.* ι 446 seq.

17 Cf. et vasa β γ δ, in quibus oculus dexter non apparet.

18 Cf. KRETSCHMER, *Vaseninschriften*, p. 146 seq.

πολλοῖσιν γὰρ ἔγωγε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω
ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν.
τῷδ' 'Οδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον[19].

Hanc autem nominis formam littera λ scriptam invenimus non modo Athenis Thebis Corinthi[20], sed etiam in occidente auctore Plutarcho (*Marcell.* 20), qui formam comparat ex monumento Siciliensi petitam Οὐλίξου τουτέστιν 'Οδυσσέως. Praeterea his cum formis comparandae sunt formae Etruscae *Ulixes Uluxe*[21] *Olyxes*[22]. Attamen difficile est dictu utrum formae littera λ (l) scriptae, quae Homericae repugnant, ab occidente in Graeciam allatae sint an ex Graecia in occidentem. Utut res se habet, littera δ Graeca in litteram l Latinam saepius mutatur (cf. e. g. δάκρυμα et lacryma); quamquam unum tantum exemplum habemus in lingua Graeca, quod est λάφνη, δάφνη apud Hesychium. Sententiae vero virorum doctorum de *Ulixes* formae patria inter se differunt. Atque Kretschmer putat 'Ολυσσεύς formam in carmen epicum illatam in 'Οδυσσεύς mutatam esse, cum ab ὀδύσσεσθαι falso derivaretur. Cf. *Od.* τ 407—409 supra l. Quae cum ita sint, nonne statuendum est fabulam Cyclopiam iam prius apud Graecos notam fuisse quam Homeri Odyssea eam pervulgavit? Porro nomina Κρισεύς et Κρισηίς vasorum Atticorum, quae postea in carmine epico Χρυσεύς et Χρυσηίς fiunt, item fontes qui non sunt epici monstrare videntur[23]. Unde denuo demonstratur tales fabulas plures (velut Cyclopis Ulixis Chrysei Rhesi) a continente in Ioniam delatas et illic cum carminibus, quae sunt de bello Troiano, coniunctas in Graeciam rursus esse reductas, quales nunc apud Homerum invenimus[24].

---

19 Cf. WILAMOWITZ, *Homer. Unters.*, p. 18.

20 Cf. KRETSCHMER, *Einleitung in die Geschichte der griech. Sprache*, p. 280 seq.

21 Cf. KRETSCHMER, *Vaseninschriften*, p. 147, adnotat. 2.

22 Cf. corpus gloss. IV p. 4, 24.

23 Cf. KRETSCHMER, *Vaseninschriften*, p. 206 seq. et WILAMOWITZ, *Aisch. Orest.* p. 251, adnot. 2.

24 Cf. KIRCHHOFF, *Die Homerische Odyssee*; et WILAMOWITZ, *Homerische Untersuchungen*, p. 113, 163 seq. et passim.

De Polyphemo litteris tradito.

a. De Cyclope Homerico.

Litterae posterioris aetatis falsam notionem Cyclopum ex Homero sumpserunt, apud quem nullum omnino indicium est Polyphemum unum qui media in fronte situs esset oculum habuisse, neque de ceteris Cyclopibus tale quid in Odyssea invenimus scriptum. Unde concludimus Clyclopes Homericos non gigantes fuisse, id est deos, sed homines superbos (ὑπερφιάλους) illos quidem et qui legibus carerent (ἀθεμίστους), attamen dis immortalibus confidentes (θεοῖσι πεπειθότας ἀθανάτοισιν). Fructibus autem neque serentes neque arantes vescebantur terrae incultae; quae tam pinguis erat, ut triticum hordeum vinum, omnia denique sua sponte gigneret. Neque vero regno ullo utebantur nec societate moribus aut legibus constituta, sed ritu barbarorum speluncas in montium iugis sitas habitabant, ubi in suam quisque familiam dominabatur fratribus vicinis neglectis[25]. Polyphemum autem ipsum legimus solum vixisse procul a ceteris in antro prope mare sito, hominem ingentis magnitudinis atque in solitudine qua utebatur similem montis cacumini silvestri. Cuius in antro atque in aula multi ovium greges et capellarum alebantur, quos Polyphemus interdiu procul a fratribus pascebat[26]. Neque mirum est quod, quo magis placeat fabula lectoribus, poeta epitheta multa addit in Polyphemo describendo, quae tamen neque plura sunt neque graviora eis, quibus aliis in heroibus uti solet. Dicitur enim Polyphemus Neptuni filius ac Thoosae[27], quae ipsa nympha est Phorcyis filia, validissimus omnium Cyclopum fuisse (κράτος ἐστὶ μέγιστον, μεγάλην ἐπιειμένος ἀλκήν, φέριστος, κρατερός), ingens atque agrestis (πελώριος, ἄγριος), praeditus voce gravi (φθόγγον βαρύν), monstrum leges non agnoscens (πέλωρ ἀθεμίστια εἰδώς) et carnis cupidum humanae (ἀνδροφάγος). Lapidis immensi mole speluncae portam obstruit,

---

[25] Cf. *Od.* ι 105—115.
[26] Cf. *Od.* ι 181—192.
[27] Cf. *Od.* α 70—72, et supra p. 7.

lignorum onera fert ingentia (ὄβριμον ἄχθος), magnam gerit clavam (μέγα ῥόπαλον). Ex ovium caprarumque lacte ipse sibi caseos parat, quibus crates abundant[28]. Vasis receptum lac servat. Disiunctae sunt diversae aetates agnorum et haedorum; mares et feminae in stabulis separantur; interior pars antri stercore impleta est. Lignis aridis ipso in spelaeo ignem incendit Polyphemus; dormit noctu inter pecudes stratus in virgulis. Sibilo acri in pascua atque ad undas greges mane agit[29], vesperi reducit[30]. Corporis ingenti robore quamvis fretus, tamen in adhibendis viribus agilis non est; edendi ac bibendi intemperans, subtiliore sensu ac misericordia vacuus, nisi quod, ut fit in hominibus agrestibus, gregi suo diligenter prospicit, quocum etiam verbis conloquitur veluti cum hominibus, quos ipsius excaecati misereat[31]. Rustica est prudentia, nam quod Ulixem in antrum reducere cupit simulans se dona ei daturum esse ut hospiti, mihi videtur tantae rusticitatis esse ut magis stolidum quam dolosum dicas[32]. Nec tamen plane ei deest cavillatio quaedam: qua vexat Ulixem[33], cum per iocum non minus crudelis quam rudis promittat se ultimum comitum eum devoraturum esse; unde in proverbio Κύκλωπος δωρεά vel κυκλώπειον γέρας dicitur donum quod cui datur plus damni quam utilitatis affert[34].

b. De Cyclopibus Hesiodeis.

Ab Homero, qui Cyclopes ut mortales quamvis fabulosa in narratione describit, Hesiodus magnopere differt, cum eos tamquam in deorum numero ponat. Caeli enim et Telluris filios tres esse narrat superbis animis, ante Iovem natos, Bronten et Steropen et robustum Argetem, qui cum Iovi fulmina conficiant videntur eum dominum agnoscere. Horum natura est divina; illi Homerici contra sunt homines, ut antea iam diximus, non tres sed permulti, qui lacte caseisque aluntur.

---

28 Cf. *Od.* ι 219, 246.
29 Cf. *Od.* ι 217, 237, 315.
30 Cf. *Od.* ι 336, 451, 233.
31 Cf. *Od.* ι 447 seq.
32 Cf. *Od.* ι 517 seq.
33 Cf. *Od.* ι 355 seq.
34 Cf. PLUTARCHUS, *Quaest. symp.* VIII 8, 3.

Hi fabricam sollertissime exercent; illi artium omnium adeo expertes sunt, ut ne rates quidem construere valeant. Hi sunt ceteris deis omnibus in rebus pares, nisi quod Hesiodus animadvertit his versibus (*Theog.* 139—142):

μοῦνος δ'ὀφθαλμὸς μέσσῳ ἐνέκειτο μετώπῳ.
[Κύκλωπες δ'ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ·]
ἰσχύς τ' ἠδὲ βίη καὶ μηχαναὶ ἦσαν ἐπ' ἔργοις.

Hos igitur Titanes ab illa fera Cyclopum gente, quam descripsit Homerus, maxime differre satis liquet. Itaque viri docti in medio relinquunt[35], qui factum sit ut utrisque idem nomen sit. Hoc certe constat, gigantes Hesiodeos nulla ratione esse similes Polyphemo illi veteribus in vasis depicto, quae oculum in fronte singularem nusquam ostendunt[36].

c. De Cyclope Euripideo.

Phrynichus, lexicographus saeculi p. Ch. n. secundi, refert Cratinum, qui quinto fere saeculo medio Polyphemum in scaenam produxit, in fabula satis comica quae Ὀδυσσῆς inscripta est, Cyclopem unoculum (μονόφθαλον) appellavisse[37]. Cuius generis Polyphemum quamquam fortasse fieri potuit ut secundum Hesiodum Cratinus vel nomine ipso permotus fingeret, tamen equidem puto Euripidem non solum Hesiodum sed etiam Aristeae carmen epicum, quod Ἀριμάσπεια ἔπη inscribebatur, secutum idem fecisse: is enim Arimaspos, gentem feram bellicosamque et procul a cultu humanitateque remotam, descripserat, quae multis in rebus Cyclopibus videtur similis fuisse. Cuius carminis fragmentum Tzetzes tradidit *Chiliad.* VII 689 seq., unde hi versus:

Ὀφθαλμὸν δ' ἕν' ἕκαστος ἔχει χαρίεντι μετώπῳ,
χαίτῃσιν λάσιοι, πάντων στιβαρώτατοι ἀνδρῶν.

---

35 Cf. SCHOEMANN, *Opuscula* IV, p. 333 seq.

36 Cf. imprimis vas ε, quod cum faciem Polyphemi plenam monstret documentum est manifestissimum eum dissimilem esse unoculis Cyclopibus Hesiodeis.

37 Cf. supra adnot. 15, p. 7.

Plura vero de eis narrat Herodotus libro IV 13—27, ubi legimus Aristeam Arimaspos homines unoculos (ἄνδρας μονοφθάλμους) ultra fines Issedonum habitare dixisse[38]. Sed utrum in Polyphemo describendo Euripides, qui unum solum oculum media in fronte situm Cyclopi tribuit, Hesiodum secutus sit an Cratinum an Aristeam in medio relinquendum est. Observandum autem est cum imprimis Homerum secutus fabulam Cyclopiam in scaenam produceret, tamen et Polyphemo unum tantum oculum tribuisse et aliis in rebus eum aliter repraesentavisse, atque apud Homerum factum est.

Quo melius postea Cyclopem Euripideum cum Homerico comparemus, qualem poeta scaenicus protulerit brevi exponamus. Silenus et satyri eius comites Polyphemo serviunt, qui Aetnaeo in specu habitat, ita ut Silenus ipse speluncam curare prandiumque parare domino cogatur, satyri contra greges pascant, qui victus post vitam illam iucundissimam inter Liberi comites peractam eis miserrimus est. Dum Cyclops procul una cum canibus venatur, Silenus et satyri, cum iam greges domum agerent, Ulixem eiusque socios conspiciunt, qui portant vasa vacua, sibi obviam euntes. Deinde ex conloquio Sileni atque Ulixis cognoscimus Graecos cibum rogare, cuius nihil adest praeter lac caseos agnos. Iamque Ulixes Sileno vinum praebens persuaserat ut haec venderet, cum subito Polyphemus inopinato redit eosque opprimit. Qui ubi Graecos, qui in antrum fugerant, et servos perturbatos animadvertit et agnos in porta ligatos, unde ille tumultus ortus sit interrogat. Silenus autem cum Graecos incusat, ille assos eos edere vult, cum cibo silvestri satiatus humanam carnem iam diu desideraverit. Silenus enim quamquam de Graecis eorumque conamine insolenter mentitur, tamen illi

---

[38] Cf. PAUSANIAS, I 24, 6, *εἶναι δὲ Ἀριμασποὺς μὲν ἄνδρας μονοφθάλμους ἐκ γενετῆς*; et

AESCH. *Prom.* 804,

— — — — — *τόν τε μουνῶπα στρατὸν*

Ἀριμασπόν; et

ORIGENES, *c. Cels.* III 26, unde apparet Pindarum quoque Arimaspos respexisse.

videtur etiam dignior esse cui fides habeatur quam Rhadamanthus inferorum iudex iustissimus. Duobus igitur ex numero sociorum Ulixis trucidatis cenam crudelissime sibi parat. Ulixes deinde egressus una cum satyris et sociis, ut omnes liberaret, constituit Polyphemum vino Maronico inebriatum oculo privare palo igni adusto. Tum vero cantat chorus laetus et se iactat virtute ac fortitudine, dum Ulixes intus post prandium horridum vinum dulce effundit potandum Polyphemo. Hic postea egreditur ad ceteros Cyclopes iturus ut illi secum potent, sed a Sileno ut vinum sibi solus retineat ei persuadetur. Tantam igitur copiam vini ab Ulixe accepit ut postremo Silenum tanquam Ganymedem in speluncam rapiat. Iam parant omnes Polyphemum excaecare dormientem. Sed satyri ignavi animo deficiunt, ita ut necesse sit Ulixes ipse una cum sociis rem perficiat, satyris cantu hortantibus. Quo facto Cyclops e specu ruit oculo privatus et a choro illuditur, cum huc atque illuc eat ut hospitem *Neminem* manibus petat. Cuius adversarii nomen verum postquam comperit, veteris oraculi meminit, quo praedictum erat ipsum ab Ulixe aliquando lumine privatum iri; iratus autem eum lapide magno ferire studet. Contra satyri laetantur quod brevi vela facturi sunt una cum Ulixe, ut pristino domino Baccho serviant.

d. Fabulae Euripideae argumentum cum narratione Homerica comparatur.

Iam paullo accuratius fabulam Euripideam cum *Od.* libro nono componamus, ut appareat quatenus Euripides secutus sit Homeri exemplum, quatenus ex suo hauserit ingenio. Neque mirum est, quod Euripides saepe fabulas traditas neglegit ac proprias vias ingreditur, quia ea erat cupiditate res violentissime novandi, ut pro rationis humanae dignitate et pro iure propugnaret; erat enim philosophorum illorum opinioni addictus, qui rationi soli omnia tribuenda esse statuentes rerum naturam etiam naturae legibus explicare studebant[39].

---

39 Cf. A. W. VERRALL, *Euripides the Rationalist*, Cambridge, 1895.

Hunc ad finem fabulas multas recoxit totas, quibus imprimis πάθος humanum monstraret, cum veteres poetae potius ἦθος hominum ostendissent. Unde intellegemus Euripidem cum mythum Cyclopium ad fabulam comicam componendam delegeret, quamquam narratione Homerica utebatur, tamen aut Hesiodum secutum esse et poetas novos, ut Cratinum, qui fabulae Cyclopiae novas res videntur addidisse, aut, sane legibus scaenicis saepe coactum, permulta ipsum immutavisse et novavisse quam habuit materiem. Difficile enim erat gravem narrationem epicam in actiones comicas ita digerere, ut dignae viderentur quae in scaenis agerentur.

Atque priusquam ea quae in fabula Euripidea aguntur cum narratione Homerica comparemus, nonnullas res singulas proferemus quibus poetae aut discrepant aut consentiunt.

Cyclopes enim Homerici cum Hesiodeis, qui Iovi fulgura conficiunt atque officinam sub Aetna monte ardenti habent, cum coniungerentur, factum est ut a recentioribus poetis, velut ab Euripide, domicilium Polyphemi eiusque fratrum in Sicilia insula poneretur, quod Homerus in narratione fabulosa non significavit. Ulixes enim Troia profectus quod iter confecerit his verbis ipse depingit (*Od.* ι 77—81):

ἱστοὺς στησάμενοι ἀνά θ' ἱστία λεύκ' ἐρύσαντες
ἥμεθα, τὰς δ' ἄνεμός τε κυβερνῆταί τ' ἴθυνον.
καί νύ κεν ἀσκηθὴς ἱκόμην ἐς πατρίδα γαῖαν·
ἀλλά με κῦμα ῥόος τε περιγνάμπτοντα Μάλειαν
καὶ Βορέης ἀπέωσε, παρέπλαγξεν δὲ Κυθήρων.

Boreas igitur eum ab Ithaca repellit ut per mare erret quoad Cyclopum terram nescio ubi sitam adeat. Euripides autem cum Silenum cursum, quo Bacchum a praedonibus raptum secutus sit, depingentem faciat similibus usus verbis his (*Cyc.* 14—16):

ἤδη δὲ Μαλέας πλησίον πεπλευκότας
ἀπηλιώτης ἄνεμος ἐμπνεύσας δορὶ
ἐξέβαλεν ἡμᾶς τήνδ' ἐς Αἰτναίαν πέτραν,

tamen Silenum et comites satyros subsolano ad occidentem versus ab eodem promontorio Malea ad litora Aetnaea,

Cyclopum domicilia, actos esse dicit. Cum autem Silenum eiusque comites in scaenam produceret, necesse erat poetam novas has personas aliquomodo cum fabula Cyclopia coniungere. Quod ita fecit, ut Silenum et satyros captos Polyphemo servientes eiusque greges pascentes fingeret, quo munere in Odyssea Polyphemus, quippe qui solus sit, ipse fungitur. Nihil igitur negoti ei restat nisi sciscitandi utrum omnia a servis recte parata sint necne. Praeterea Cyclopes omnes unoculi (μονῶπες) sunt filii Neptuni, qui homines occidere eorumque carnem edere solent, in Odyssea Polyphemus solus Neptuni filius appellatur neque ceteri aut humana carne ali aut unoculi esse dicuntur.

Quaerendo autem ac respondendo[40] ea efficiuntur in Euripidis fabula, quae in Odyssea longis narrationibus explicata sunt; quibus actionibus ioci obscaeni et rustici qui satyros decent adduntur. De grege autem monendum est apud Homerum esse oves et capellas, boves nullos; Euripidem contra de bobus et ovibus dicere capris omissis, quod quin ab Euripide consilio factum sit dubitari non potest, ne si capros in scaenam produxisset, illi confunderentur cum satyris, qui ipsi quoque pellibus hirsutis induti erant. Ac fieri potest, ut pecudes quae per scaenam actae sunt homines fuerint pellibus vestiti. Satyris autem ut in scaena remanere liceat praeter eos poeta tragicus alios servos (προσπόλους)[41] addit, qui pecudes in specu curent, et contra Homeri exemplum in satyrorum fabula canes venaticos[42] Cyclopi attribuit, qui venandi causa foris tenetur dum Ulixes adveniat.

Quod ad fructus terrae attinet, non neglegendum est in Odyssea insulam Cyclopiam triticum hordeum uvas sua sponte proferre, quibus cibo ac potu Polyphemus uti possit, Euripidem contra mentionem nec frumentorum facere nec vini, quo melius

---

40 Cf. *Cyc.* 115—124 cum *Od.* ι 105—115, quos Homeri versus Euripides artissime sequitur.

41 Cf. *Cyc.* 83. *πρόσπολοι* fuerunt etiam servi scaenici, quibus Euripides dramatis personis usus esse videtur.

42 Cf. *Cyc.* 130, *φροῦδος πρὸς Αἴτνῃ θῆρας ἰχνεύων κυσίν.*

ostendat quae mirabili illo vino Maronico efficiantur in Polyphemum.

Sed in ea re Euripides Odysseam sequitur, quod totam fabulam in partes duas distribuit. Prima enim scaena Euripidea (*Cyc*. 1—192), quae agitur priusquam Polyphemus ipse intravit, versibus *Od*. ι 105—230 respondet; pars altera inde a versu 193 usque ad finem (*Cyc*. 193—702) versibus *Od*. ι 231—566 respondet.

Similiter autem atque in Odyssea antrum greges victus Cyclopis ab Euripide descripta sunt. Aulae enim ex lapidibus et lignis pinorum quercuumque constructae (*Od*. ι 184—186) etiam satyri mentionem faciunt gregem iubentes in aulam intrare (*Cyc*. 60):

εἰς αὐλάν ποτ' ἀμφιβαλεῖς;

Porro agnos non una cum parentibus pastos esse, sed domi remansisse (*Od*. ι 219—222), item apud Euripidem invenimus (*Cyc*. 57—59):

ἃς λείπεις ἀρνῶν θαλάμοις.
ποθοῦσί σ' ἁμερόκοιτοι
βλαχαὶ σμικρῶν τεκέων.

Fuerunt praeterea agnis et in fabula scaenica stabula propria a grege remota, ac satyri oves femineas hortantur (*Cyc*. 55—56), ut in uberes pullos recipiant, quae cura Polyphemo ipsi in Odyssea tribuitur (*Od*. ι 245, 309, 342):

. . . . καὶ ὑπ' ἔμβρυον ἧκεν ἑκάστῃ.

Homeri autem verba οὔθατα γὰρ σφαραγεῦντο (*Od*. ι 440) Euripides imitatur verbis σπαργῶντας μαστούς (*Cyc*. 55). Deinde Euripides quod fingit Cyclopem vino Maronico dulcissimo ebrium, Homerum sequitur, qui illud vinum in *Od*. ι 196—216 longius hoc modo describit:

. . ἀτὰρ αἴγεον ἀσκὸν ἔχον μέλανος οἴνοιο
ἡδέος, ὅν μοι ἔδωκε Μάρων Εὐάνθεος υἱός,
ἱρεὺς Ἀπόλλωνος, ὃς Ἴσμαρον ἀμφιβεβήκειν,
οὕνεκά μιν σὺν παιδὶ περισχόμεθ' ἠδὲ γυναικὶ

ἁζόμενοι· ᾤκει γὰρ ἐν ἄλσεϊ δενδρήεντι
Φοίβου Ἀπόλλωνος. ὁ δέ μοι πόρεν ἀγλαὰ δῶρα·
χρυσοῦ μέν μοι ἔδωκ' εὐεργέος ἑπτὰ τάλαντα,
δῶκε δέ μοι κρητῆρα πανάργυρον, αὐτὰρ ἔπειτα
οἶνον ἐν ἀμφιφορεῦσι δυώδεκα πᾶσιν ἀφύσσας
ἡδὺν ἀκηράσιον, θεῖον ποτόν· οὐδέ τις αὐτὸν
ἠείδη δμώων οὐδ' ἀμφιπόλων ἐνὶ οἴκῳ,
ἀλλ' αὐτὸς ἄλοχός τε φίλη ταμίη τε μί' οἴη.
τὸν δ' ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρόν,
ἓν δέπας ἐμπλήσας ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα
χεῦ', ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδειν
θεσπεσίη· τότ' ἂν οὔ τοι ἀποσχέσθαι φίλον ἦεν.
τοῦ φέρον ἐμπλήσας ἀσκὸν μέγαν, ἐν δὲ καὶ ἦα
κωρύκῳ· αὐτίκα γάρ μοι ὀίσατο θυμὸς ἀγήνωρ
ἄνδρ' ἐπελεύσεσθαι μεγάλην ἐπιειμένον ἀλκήν,
ἄγριον, οὔτε δίκας εὖ εἰδότα οὔτε θέμιστας.

Hoc vinum igitur virtute ac dulcedine celeberrimum, quod in proverbii locum cessit, viginti mensuris aquae bibebatur permixtum, quo vino Ulixes tamquam telo, ut ita dicam, usus est, quo Polyphemum ingentem et ferocem prosterneret et devinceret. Illud autem vinum apud Homerum Ulixi donaverat Maro, filius Euanthis et Apollinis sacerdos, cui Ulixes pepercerat expugnata Ismaro urbe, quae postea Maronea[43] appellata est. Sed Euripides Maronem Bacchi facit filium Cratini fabulam, quae est Ὀδυσσῆς inscripta, secutus, ut mihi quidem videtur. Apud Pollucem enim VI 26 haec legimus: Κρατῖνος μέντοι τὸν οἶνον Μάρωνα εἴρηκεν·

οὔπω ᾽πιον τοιοῦτον οὐδὲ πίομαι
Μάρωνα[44].

Quod fragmentum Bergkius ad Cratini fabulam Ὀδυσσῆς pertinere recte mea quidem sententia coniecit. Quo Cratini

---

[43] Cf. schol. ad *Od.* ι 39 et 40, *ἡ μὲν χώρα Κικονία, κτλ.*, et HARP. s. v. *Μαρώνεια* ac *Στρύμη*.

[44] Cf. KOCK, *Comicorum Att. fragmenta*, Cratini 135.

loco sicuti apud Homerum Cyclops vinum noverat[45], sed non id, cuius Ulixes paullo antea sine dubio mentionem fecerat, Maronis nomine usus pro novo aliquo et inaudito adhuc vini genere. Maro igitur cum vinum significare possit sicut Bacchus necesse est aliqua ratione cum Libero coniunctus sit, sive ut filius sive ut sacerdos sive aliter. Nec tamen ego crediderim Cratinum primum Maronem cum Baccho conexuisse[46], quod et verba ipsius Homeri Μάρων, Εὐάνθεος υἱός, ἱρεὺς Ἀπόλλωνος (*Od.* ι 197—198) monstrant, siquidem Euanthes filius est Bacchi. Ac vero Satyrus apud Theophilum *ad Autolycum* II p. 94 Maronem filium appellat Ariadnes et Bacchi[47], quocum congruit scholium ad *Od.* ι 197, Μάρων Εὐάνθεος υἱός, ὁ δὲ Εὐάνθης υἱὸς Διονύσου. Etiam Hesiodus Maronem cum Libero coniunxisse videtur; nam scholiasta auctore eum filium vocat Oenopionis, filii Bacchi. Ex scholio autem ad Apoll. Rhod. III 997 adscripto intellegimus et Euanthem et Oenopionem fratres fuisse filios Bacchi atque Ariadnes[48]. Unde apparet veterrimam fuisse memoriam Maronem tam filium sive nepotem fuisse Bacchi quam Apollinis sacerdotem, ut refert Homerus. Sed scholiastae mirabantur, quod Homerus Bacchum vini inventorem non attulisset, sed Maronem Apollinis potius sacerdotem fecisset quam Bacchi, praesertim cum de vino potissimum ageretur. Quod factum est mea sententia propterea quod εὐανθής epitheton Liberi non intellexerunt. Namque εὐανθής, *bene floridus*, ex epitheto Bacchi cognomen est factum accentu mutato Εὐάνθης. Quod etiam Athenaeus testatur Phanodemo auctore, cum scribit XI 465a: ἡσθέντες <οἱ Ἀθηναῖοι> οὖν τῇ κράσει ἐν ᾠδαῖς ἔμελπον

---

45 Cf. *Od.* ι 357.

46 Cf. NONNI XI 121, XIV 99 ac passim, et PHILOSTRATI *Heroici* p. 661.

47 Cf. *Fragm. hist. Graec.* III p. 164, *Μαρωνὶς ἀπὸ Μάρωνος υἱοῦ Ἀριάδνης καὶ Διονύσου.*

48 Oenopionis domicilium erat Chios insula, quo ex Creta venerat. Vide APOLLOD. *bibl.* I 4, 3; PAUS. VII 4, 8; DIOD. SIC. V 79, 1; HYGIN. I 22 et II 129. Cf. FR. OSANN, *Oenopion und seine Sippschaft,* Mus. Rhen. vol. III, 1835, p. 241 seq.

τὸν Διόνυσον, χορεύοντες καὶ ἀνακαλοῦντες εὐανθῆ[49] καὶ διθύραμβον καὶ βακχευτὰν καὶ βρόμιον, ubi εὐανθής manifesto epitheton est Liberi, quod eius filio cognomen postea attribui poterat[50]. Sed quo pacto Maro, filius vini dei Liberi, factus sit sacerdos Apollinis, oraculorum dei, si quaerimus, Herodotus quidem VII 111 narrat de Bacchi oraculo, quod in finibus Satrarum, Thraciae gentis, altissimis in montibus situm erat, ubi sacerdos mulier, sicut Delphis, responsa edebat ambigua. Cum enim temporibus veterrimis vitibus Thracia abundaret, incolae Liberum colebant. Atque re vera testimoniis antiquis probari videtur, vitium culturam in Thraciam illatam esse non modo recta via ex continente, ubi iam diu vites satae erant, sed etiam per mare a mercatoribus Phoeniciis, qui colonias in

---

[49] KAIBEL coniecit falso ut opinor *Εὔαν τε* coll. Hesych. *Εὔας: Διόνυσος.*

[50] Quod ad nomen *Maronis* ipsum attinet, satis liquet id a verbo *Ἴσμαρος* *ισ* litteris ante *μ* amissis derivatum esse, quod nomen olim Ciconum urbi erat, quae postea Maronea appellabatur, unde *Μάρων* heros eponymus (cf. HEHN, *Kulturpflanzen und Haustiere,* 6. *Aufl.* p. 552; ac vide ECKHEL, *Doct. num. vet.* II 34: Vetus nummus autonomus *Μάρωνος* retroversum inscriptus cultum Maronis indicare videtur; et REINACH, *Bull. de corr. hellén.* vol. V, 1881, p. 94, 17: In inscriptione quadem posterioris aetatis Maroneae reperta commemoratur *ἱερεὺς* ...... *Διονύσου καὶ Μάρωνος*). Atque exstant apud veteres scriptores alia nomina ab eodem verbo *Ἴσμαρος* derivata. Herodotus enim lib. VII 109 *Ἰσμαρίδα λίμνην* affert, quae prope Maroneam sita erat, et Vergilius ecl. VI 30 commemorat montem *Ismarum.* Deinde Eumolpi Thracii, qui primus vites coluisse dicitur, filius appellatus est *Ismarus* vel *Immaradus* (cf. APOLLOD. III 15, 14; et schol. ad. *Il.* *Σ* 843). Quod non mirum est, nam inde a temporibus antiquissimis terra Ciconum insignis est vino, de quo Archilochus sic canit (frag. 3 Bergk.):

ἐν δορὶ μέν μοι μᾶζα μεμαγμένη, ἐν δορὶ δ' οἶνος
Ἰσμαρικός, πίνω δ'ἐν δορὶ κεκλιμένος.

(Cf. POLL. VI 16, *Μαρωνείτης* [*οἶνος*]; et PLIN. *n. h.* XIV 6, Ismarinum vinum). Praeterea ex *Il.* B 846 nonnulla accepimus de Ciconibus, sociis Troum, et Euphemo eorum duce, quorum urbe ab Ulixe capta, quod Troianis auxilium tulissent, Maro vinum illud dedit Ulixi (cf. *Od.* *ι* 197 et DIOG. *epis. Maronitis: Μάρωνος, ἀνδρὸς οἰνοπόλου*).

Creta condiderunt vinum secum portantes. Qua ex insula incolae vinum vitiumque culturam ferentes venerunt Naxum, deinde Chium, unde in Thraciam iter haud longum fuit. Deinde multos post annos fortasse, multo tamen prius quam carmina epica composita sunt, Chii coloni in Thraciae oram deducti novum cultum Liberi tulerunt ad incolas, qui Apollinem antea venerabantur. Sed difficile est dictu accuratius, quando ac quo modo Apollo et Bacchus uno loco culti sint. At mos erat, ut de posterioribus saltem temporibus traditum est, colonis Graecis conservare templa regionesque deis sacras in hostium terris postquam alienos populos subegerunt. Cur enim fieri non potest ut Bacchi cultores in templum Apollinis sic recepti sint et ut eius religio praevaluerit? Etenim facile est intellectu, quo pacto templi servis saltem remanere licuerit, cum sacerdotibus sane non licuerit. Sed etiam fieri potest ut Chii Liberi cultores in pace, non bellis gestis, ad Thracas novum cultum tulerint nova sacra eos docentes gradatim per tempus longum. Itaque Maro, qui filius Bacchi vocabatur, etiam sacerdos Apollinis esse poterat, et vicissim altera gens, quae Apollinem coluerat, veluti Satrae, non invita, sed sua sponte novum vini deum in templum recipere atque eodem tempore aliqua sacra usumque oraculorum dei retinere poterat nomine mutato.

Sed ut regrediamur ad rem ipsam, Euripides cum Marone conectit Silenum, Bacchi comitem, qui statim meminit se olim infantem puerum bracchiis saepe tenentem educavisse (*Cyc.* 141—142):

ΟΔ. καὶ μὴν Μάρων μοι πῶμ' ἔδωκε, παῖς θεοῦ.
ΣΕΙ. ὃν ἐξέθρεψα ταῖσδ' ἐγώ ποτ' ἀγκάλαις;
ΟΔ. ὁ Βακχίου παῖς, ὡς σαφέστερον μάθῃς.

Cuius vini plenum in Odyssea Ulixes magnum culleum e navi transportat; quam narrationem Euripides imitatur, sed ita commutatam, ut culleus primo Sileno, postea Polyphemo oblatus divina quadam vi auctus eo plus vini praebere dicatur quo plus ex eo haustum sit. Sic enim, si post versum 146 cum Kirchhoffio lacunam duorum vel plurium iamborum ponimus, versum 147 verisimile est interpretandum esse:

καὶ δὶς τόσον πῶμ' ὅσον ἂν ἐξ ἀσκοῦ ῥυῇ,

et quod Boissonadius coniecit, *καί* pro *ναί* codicum, cadit. Praecipue autem Euripides cum Homero ea re consentit, quod uterque dulcem odorem vini Maronici praedicat (*Od.* ι 210),

. . . ὀδμὴ δ' ἡδεῖα ἀπὸ κρητῆρος ὀδώδειν
θεσπεσίη,

quibus verba Sileni gaudentis respondent (*Cyc.* 153),

παπαιάξ, ὡς καλὴν ὀσμὴν ἔχει.

Itaque cum Euripides Homerum hac in re sequatur, omnes coniecturae, quibus viri docti *Cyclopis* versum 153 temptaverunt, prorsus improbandae sunt.

Silenus igitur domini gregem vino libenter permutat et profert e spelaeo agnos lac caseum, quibus Ulixis socii potiuntur. Hanc quoque sententiam hausit poeta ex Homeri versibus *Od.* ι 224—232, in quibus comites Ulixem precantur ut greges cibumque sibi liceat asportare.

Hucusque pertinet pars prior vel prooemium fabulae cum Homericae tum Euripideae; pars altera incipit simulac Polyphemus in scaenam processit. Tanto terrore Achaei in Odyssea opprimuntur, ubi monstrum conspexerunt, ut latebris antri se occultent (*Od.* ι 236):

ἡμεῖς δὲ δείσαντες ἀπεσσύμεθ' ἐς μυχὸν ἄντρου,

id quod significat Euripides versibus *Cyc.* 194—197. Silenus vero viris suadet, ut in spelaeum confugiant, in quo multi insint recessus. Sed Cyclops medio in labore Achaeos opprimit agnos protinus rapientes et caseos. Itaque suo iure quaerit, advenae utrum latrones vel fures sint necne (*Cyc.* 223):

λῃσταί τινες κατέσχον ἢ κλῶπες χθόνα;

et postea Ulixem ipsum rogat (*Cyc.* 275):

. . . . πόθεν ἐπλεύσατ', ὦ ξένοι;
ποδαποί, τίς ὑμᾶς ἐξεπαίδευσεν πόλις;

Quibus verbis Euripides id exprimit, quod Homerus Cyclopem ex Graecis quaerentem facit (*Od.* ι 252—255):

ὦ ξεῖνοι, τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
ἤ τι κατὰ πρῆξιν ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε,
οἷά τε ληιστῆρες, ὑπεὶρ ἅλα, τοί τ' ἀλόωνται
ψυχὰς παρθέμενοι κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες;

Cui Ulixes respondet se suosque, Achaeos Agamemnonis socios, Troia capta domum redire. Apud Euripidem vero affirmat se suosque Ithacenses esse, propterea quod et re vera Ulixes Ithacensis erat et Ithaca prope ab Sicilia sita.

Iam vero quos satyri in fabula scaenica facere labores debebant (*Cyc.* 206—218) Polyphemus antequam Ulixem conspexit ipse in Odyssea suscipit (*Od.* ι 236—249). Qui cum partem lactis separatim in vasis ponat ad cenam (ποτιδόρπιον) praeparandam, Euripideus ex satyris quaerit, num omnia ad prandium (ἄριστον) parata sint. Atque de cenis quod poetae differunt fortuitum non est. Nam cum in Odyssea omnia, quae de Polyphemo narrantur, ab altero usque ad alterum vesperum agantur, quo ille vino somnoque oppressus ab Ulixe excaecatur, Euripides luce unius diei totam agi iubet fabulam. Meridie igitur eum inde revertentem facit, ubi cum canibus per tempus matutinum venatus est.

Sequitur longa illa oratio, qua Ulixes Cyclopis mentem placare atque in se suosque clementem reddere conatur (*Cyc.* 285—312). Quae verba omnino eiusmodi sunt quibus poeta suas sententias exprimat nulla fere re ex Homero hausta, nisi quod Ulixes a Cyclope petit, ut sibi dona det hospitalia, eumque admonet lege communi homines iuberi miserum colere et fovere advenam (cf. *Od.* ι 266—271 et *Cyc.* 299—301). Neque minus responsa Polyphemi propriis ornavit sententiis et orationis flosculis (*Cyc.* 316—346). Diris minis pronuntiatis Cyclops in antrum se confert, ubi socios mactat duos atque comedit. Satyri autem saltant et cantant dum Ulixes exeat, qui omnia quae intus acta sunt nefanda narrat. Quibus in narrandis poeta eundem Homerum in summa rerum sequitur (cf. *Od.* ι 288—298 et *Cyc.* 282—436). Sed quae de Polyphemo boves mulcente narrantem fingit Ulixem non concinunt cum locis antecedentibus, ubi satyrorum opera servilia descripsit. Sed quia necesse erat chorum satyrorum interim

tenere in scaena, Polyphemum, sicut apud Homerum legimus, omnia ipsum in antro curantem hoc loco fecit, quamquam alios servos (προσπόλους) habebat (cf. supra p. 16). Porro uterque poeta eadem scripsit de sociis miseris mactatis usus et eodem rapiendi verbo συμμάρπτειν et eadem orationis forma, ut Polyphemum socios arreptos tanta vi in scopulos iecisse dicerent, ut cerebra in terram effluerent. Deinde Ulixes satyros certiores facit, cum iam Cyclopem ebrium redidissent, sperare et se suosque brevi ab ipso servatum iri et satyros. Qui postquam fore ut eum adiuvarent promiserunt, ab eis petit ut Polyphemo persuadeant, ne ceteris advocatis Cyclopibus nova paret pericula. Hoc novum momentum cur poeta orationi Ulixis addiderit liquet. Nam cum Homerus Polyphemo vulnerato fratres clamore adductos auxilio venisse narrasset, poeta tragicus personas novas in scaenam producere noluit; qua de causa postea Silenum Polyphemo dissuadentem fecit ne fratribus partem vini donaret (*Cyc.* 540). Pollicitos autem auxilium satyros Ulixes docet se in animo habere Cyclopem oculo privare eisque narrat quo modo id fiat. Qua in excaecatione ipsa describenda Homerum Euripides sequitur, ac primum quidem sententiam de fabro, qui cum navem construit terebra utitur, adhibet. Conferenda igitur sunt haec verba Homerica (*Od.* ι 383—388):

ἐγὼ δ' ἐφύπερθεν ἐρεισθεὶς
δίνεον, ὡς ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήιον ἀνὴρ
τρυπάνῳ, οἱ δέ τ' ἔνερθεν ὑποσσείουσιν ἱμάντι
ἁψάμενοι ἑκάτερθε, τὸ δὲ τρέχει ἐμμενὲς αἰεί·
ὣς τοῦ ἐν ὀφθαλμῷ πυριήκεα μοχλὸν ἑλόντες
δινέομεν, τὸν δ' αἷμα περίρρεε θερμὸν ἰόντα.

cum verbis Euripideis (*Cyc.* 460—463):

ναυπηγίαν δ' ὡσεί τις ἁρμόζων ἀνὴρ
διπλοῖν χαλινοῖν τρύπανον κωπηλατεῖ,
οὕτω κυκλώσω δαλὸν ἐν φαεσφόρῳ
Κύκλωπος ὄψει καὶ συναυανῶ κόρας.

Postquam autem Ulixes cum satyris coniuravit, Polyphemus, ubi vino iam ebrius factus ex antro egressus est, in

scaena potare pergit, quae potandi scaena iocosissime ab Euripide ipso inventa est (*Cyc.* 519—589), ita tamen, ut duabus in rebus exemplum Homeri imitandum sibi proponeret, primum quod Ulixes simulat se *Neminem* (Οὖτιν) vocari, deinde quod Polyphemus pollicetur se largitorem vini, ut hospitale donum praebeat, ultimum devoraturum esse (*Od.* ι 360—370). Potatione finita Polyphemus in antrum recedit, ubi mox gravi somno opprimitur. Quo temporis puncto Ulixes satyros ut ipsum in obcaecando monstro adiuvent adhortatur, praesertim cum Cyclops adeo oppressus sit vino, ut brevi hominum carnem antea devoratam evomiturus esset. Qua in affirmatione satis mirabili (*Cyc.* 591),

ἔνδον μὲν ἀνήρ· τῷ δ' ὕπνῳ παρειμένος
τάχ' ἐξ ἀναιδοῦς φάρυγος ὠθήσει κρέα,

Euripides Homeri exemplo utitur, quod est in *Od.* ι 373 – 374:

. . . . φάρυγος δ' ἐξέσσυτο οἶνος
ψωμοί τ' ἀνδρόμεοι· ὁ δ' ἐρεύγετο οἰνοβαρείων.

Quae verba Euripidea eo mirabiliora sunt, quod recte intellegi non possunt nisi ab eis, qui Homeri narrationem cognitam habeant. Euripides igitur iocose Ulixem praedicentem facit quod apud Homerum recte narrat peractum. Postea Polyphemus ab Ulixe sociorum auxilio excaecatus, quod facinus satyri non ut promiserunt agendo sed canendo tantum adiuvant, ex specu magno cum fremitu in scaenam effugit, ut *Neminem* quaerat. Sed satyri ei illudunt verbo οὖτις abusi, quod faciunt nescii Cyclopes fratres in Odyssea (ι 408—412):

ὦ φίλοι, Οὖτίς με κτείνει δόλῳ οὐδὲ βίηφιν.
οἱ δ' ἀπαμειβόμενοι ἔπεα πτερόεντ' ἀγόρευον·
εἰ μὲν δὴ μή τίς σε βιάζεται οἶον ἐόντα,
νοῦσόν γ' οὔ πως ἔστι Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι,
ἀλλὰ σύ γ' εὔχεο πατρί, Ποσειδάωνι ἄνακτι.

Severam hanc fati ironiam, qua, cum intellegant οὔτις pro Οὖτις, Cyclopes Polyphemum insanum esse rati auxilio ei non veniunt, Euripides in iocularem risum transformat fabulae satyricae idoneum. Optimo autem illo dolo Ulixis, quo socios

ad ventres ovium adligatos Cyclopi e manibus eripuit, Euripides ut non utitur, cum Ulixem brevi navem conscendentem faciat, ita postremo Homeri vestigiis artius insistit quod Cyclopem, ubi primum Ulixis viri inimicissimi nomen comperit, vaticinii pristini memorem fingit, quo se ab Ulixe oculo privatum iri iam dudum compertum habeat (*Cyc.* 696—698):

αἰαῖ· παλαιὸς χρησμὸς ἐκπεραίνεται.
τυφλὴν γάρ ὄψιν ἐκ σέθεν σχήσειν μ' ἔφη
Τροίας ἀφορμηθέντος.

Quibus cum versibus conferre licet Odysseae ι 506—521. Accedit quod Polyphemus in fabula scaenica vaticinatur Ulixem poenas daturum esse diu in mari errantem (*Cyc.* 698—700), quae sententia redolet eam, quam proferunt Homeri versus *Od.* ι 528—535, quibus Neptunum patrem ut mala illa eveniant Ulixi precatur. Denique ne hoc quidem quod Cyclops se magno lapide navem diruturum esse minatur (*Cyc.* 704—707) alio ex fonte hausit Euripides nisi ex *Od.* ι 481 seq. et 537—542.

Conclusio.

Breviter nunc colligamus quae de Cyclope disseruimus. Primum enim testimonia imaginum in vasis depictarum comperimus nulla ante medium saeculum quintum a. Ch. n Polyphemum exhibere unum oculum media in fronte habentem, sed post Cratinum atque Euripidem demum vasorum pictorem aliquem talem oculum pinxisse (κ). Vultum igitur humanum fuisse Polyphemi discimus, quamquam unus oculus solus in picturis videtur una imagine Boeotica excepta (ε), quod Aristarchi opinioni, qua Polyphemum altero oculo iam captum fuisse coniecit, cum Ulixes eum conveniret, nec repugnat nec prodest. Porro repperimus Cyclopes Homericos homines fuisse agrestes, sed nullum exstare documentum, unde unoculos fuisse appareat, nisi forte in nomine Κύκλωπες offendis, de quo viri doctissimi non omnino consentiunt; contra Hesiodeos Cyclopes unoculos Titanes officinatores fuisse nullo modo cum Cyclope Homerico conexos nisi nomine; posteriores autem poetas

nonnullos hos atque illos confudisse, donec Euripides narrationem Homericam ad fabulam scribendam adhibuerit nunc fabulas varias traditas secutus nunc ipse immutans ac novans. Ac severitatem epicam, quam apud vasorum pictores ante Euripidem invenimus, poeta scaenicus in actiones comicas satyris additis immutavit, ut etiam vas $\varkappa$ (cf. sup. p. 5) monstrat.

Cyclopiam igitur fabulam qualis fuerit in artis operibus atque in litteris persecuti usque ad poetas scaenicos Polyphemi naturam atque indolem sensim mutatam esse videmus. Ceterum postea eadem fabula etiam magis mutata est, velut apud Theocritum atque Ovidium et in statuis Etruscis ac picturis Pompeianis. Sed mihi in animo non est de forma huius fabulae recentiore disserere.

Theses.

I.

Pulchrum non unum sed multiplex.

II.

Versus Soph. *El.* 1028

ἀνέξομαι κλύουσα χὤταν εὖ λέγῃς

ita legendus est

ἀνέξομαι κλύουσα χὤταν μ' εὖ λέγῃς.

III.

Homicida tertius Shakesp. *Macb.* est Macbeth ipse, q duos sicarios mercede conduxit.

IV.

Palliatae Romanorum fabulae ad mores corrumpend plurimum valuerunt.

V.

Hypothesis a Francisco Ruehl *Mus. Rhen.* a. 1899, p. 316 se prolata, fabulam Sabinarum pacis oratricum ex fonte Graec id est ex Sophoclis *Theseo* ortam esse, non est accipienda.

VITA.

Carolus Berry NEWCOMER civis Americanus natus sum XV Kal. Dec. anni huius saeculi LXII prope *Toulon* vicum rei publicae Illinoisensis U. S. A., patre Josepho, quem violenta morte mihi nuper abreptum pervalde doleo, matre Elisabeth e gente Stoner. Fidem profiteor evangelicam.

Peracta in arando pueritia ac ludo publico ruri temporibus tantum hibernis frequentato, anno LXXX una cum parentibus migravi in municipium rei publicae Nebraskensis, quod vocatur *Falls-City;* ubi post quinquies senos menses scholae disciplinam perfeci. Per biennium in schola publica cum docuissem me contuli ad universitatem Nebraskensem in urbe *Lincoln*, ubi vere anni h. s. LXXXIX titulo graduque baccalaurei in artibus, anno sequenti magistri in artibus ornatus sum. Postea Berolini per duo semestria moratus, ut in studium philologiae incumberem, deinde Nanceii in oppido rei publicae Franco-Gallicae linguam Gallicam per sex menses discebam. Autumno anni XCI factus sum professor linguarum Graecae et Latinae in universitate Cotneriensi, unde duobus post annis me contuli ad gymnasium in re publica Californiensi, quod *Belmont School* vocatur, quo loco duos per annos linguas recentes docui. Aestate anni XCV Berolinum redii, ubi adhuc studiis philologicis operam do.

Magistris usus sum illustrissimis his: Curtius †, Delbrueck, Diels, Ebbinghaus, Frey, Geiger, v. Gizycki †, Graef, Huebner, Kekulé v. Stradonitz, Kirchhoff, Klemperer, Koehler, Meyer, Paulsen, Roediger, Er. Schmidt, Joh. Schmidt, Thomas, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff.

Ad exercitationes philologicas Huebner, historicas Koehler, epigraphicas Kirchhoff, archaeologicas Kekulé v. Stradonitz benigne me admiserunt. Quos omnes viros doctissimos, optime de me meritos, animo pio semper colam ac grato.

Druck von Carl Salewski in Berlin C.,
Neue Friedrichstrasse 44.